DE

VENDITIONE RERVM
CVM
FVNDO ADHVC COHAERENTIVM

AD L· XXXX· D· DE ACT· EMPT· VENDIT

PRAESIDE

CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO ICTO
POTENTISSIMI REGIS POL· ET PR· ELECT· SAXON
CONSILIARIO AVLICO DIGEST· INF
ET NOVI P· P· ORDINARIO
CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS
ITEMQVE ORDINIS IVRIDICI
ASSESSORE

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CONSEQVENDI

IN AVDITORIO MAIORI

DIE, APRILIS, A· Q· S· P· EST, cIɔIɔccXXXXIII
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
DISPVTABIT

AVCTOR
IOANNES PAVLLVS SCHROETER
DRESDENSIS

Biblioteca Nazionale V. E. III

VITEMBERGAE,
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. XXXX. D. de Action. Empti uenditi

POMPONIVS *L. XXXI. ad Quint. Mucium*

QVINTVS MVCIVS *ſcribit: Dominus fundi de praedio* ARBORES STANTES *uendiderat, et pro his pecuniam acceperat, et tradere nolebat. Emptor quaerebat, quid ſe facere oporteret, et uerebatur,* NE HAE ARBORES EIVS NON VIDERENTVR FACTAE: POMPONIVS: ARBORVM, QVAE IN FVNDO CONTINENTVR, NON EST SEPARATVM CORPVS A FVNDO, *et ideo, ut dominus, ſuas* SPECIALITER *arbores uindicare emptor non poterit, ſed ex empto habet actionem.*

Digitized by Google

1

ARBORES
IVCVNDISSIMA ET NON MINVS VTILIS FVNDI PORTIO.
APVD ROMANOS VILLAE INTERDVM ARBORVM CAVSSA EMEBANTVR.
ARBORIBVS SEPVLCHRA TEGEBANTVR

NVLLAE omnino, quod M. TVLLIVS ait, ELEGANTIORES et certiores ſunt DELICIAE ac IVCVNDITATES, quam quas ipſa nobis NATVRA apparauit. a) Earum enim ſenſu quisquis attingitur, intelligit, diuino beneficio haec DELINIMENTA nobis obiecta eſſe, quibus dolores noſtri et humanae conditionis incommoda permulceantur. Enimuero, ſi CATVLLVM b) audiamus,

Hoc eſt, quod VNVM eſt, pro laboribus tantis.

ROMANI quidem inter NATVRALIA OBLECTAMENTA loco prae-

a) Cic. de Seneſt. c. 15.

b) Catull. carm. XXXII. v. 11.

Digitized by Google

praecipuo ARBORES, non ſolum utilitatis et fructus, ſed maxime AMOENITATIS, cauſſa habuerunt. VLPIANVS certe inter dulciſſimas praediorum dotes commemorat, ſi VIRIDIARIA habeant, et geſtationes, et DEAMBVLATIONES ARBORIBVS INFRVCTVOSIS OPACAS ET AMOENAS, quae non permutandae ſint cum illis, quae ad REDITVM ſpectare uideantur, l. 13. §. 4. D. de *Vſufruct*

Neque tamen INANEM hanc eſſe uoluptatem PAVLLVS iudicat, ſed etiam FRVCTVARII, propter uoluptatem et geſtationem, intereſſe ait, ne ARBORES, quamuis NON FRVGIFERAE, a quoquam temere caedantur; cum AMOENITAS maxima ex huiusmodi ARBORIBVS praeſtetur. l. 16. §. 7. D. *Quod ui aut clam*

Ipſa quidem uox naturae commendat illas agricolarum diuitias, in quibus CATO, apud M. TVLLIVM, INCREDIBILES IVCVNDITATES ineſſe arbitratur, a) et laudat ſimpliciſſima illa gaudia,

- - et frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque SVB ARBORE ſomnos, b)

et P. VIRGILIVS MARO beatiſſimum fuiſſe cenſet illum ſenem Corycium,

- - cui pauca relicti
Iugera ruris erant; nec fertilis illa iuuencis
Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho,

ſed, inter alias amoenitates, ſyluae erant, et inprimis

- - TILIAE, atque VBERRIMA PINVS. c)

A 3 Deni-

a) Cic. in Catone Maiore de ſenectute c. 15. et 17.

b) Virg. Georg. II. v. 471.

c) Virg. Georg. IIII. v. 128. ſqq.

Denique, ut rem paucis comprehendam, COLVMELLA a) auctor eſt, CVRAM ARBORVM rei ruſticae PARTEM MAXIMAM uideri. Imo uero bene, non ſolum in praeſenti, ſed etiam de futuro tempore, mereri credebatur ille, qui ARBORES ſereret, poſteritati profuturas. Ideoque recte CAECILIVS STATIVS in Synephebis b) apud MARCVM TVLLIVM c) laudabat ſenem illum, qui iam decrepitus, ſed operi faciundo tamen maxime intentus, cum a quibusdam derideretur, reſpondiſſe ferebatur,

SE ARBORES SERERE, QVAE ALTERI SECVLO SINT PROFVTVRAE.

ut oſtenderet, etiam poſtera ſecula ad ſe pertinere, et, quamuis ipſe baccam ex illis, quas ſerebat, arboribus nunquam adſpecturus eſſet, ſatis ſe habere, quod Diis immortalibus operam praeſtaret, ex quorum uoluntate POSTERIS utilior reddendus eſſet fundus, quem ipſe accepiſſet

Illud expeditum eſt, non placuiſſe uillam ueteribus, quae non NEMVS aliquod aut ſaltum ARBORIBVS obſitum haberet in propinquo. Haec talia enim et VARRO d) et COLVMELLA e) inter utilitates maximas uillarum et praecipua ornamenta poſuerunt. Sed apertius PAPINIANVS, l. 58. D. de *Contrab. Empt.* quosdam fundos, CONTEMPLATIONE ARBORVM duntaxat, ab emptoribus ſubinde comparari, ait, ut, ſi arbores uento deiectae, uel igne etiam ante uenditionem abſumptae ſint, fundi emptio non recte contracta uideatur. l. 58. D. de

a) Columell. de R. Ruſt. L. III. c. 1
b) Statius in Synephebis, apud Cic. L. I. Tuſcul. Diſput. c. 14
c) Cic. loc. cit. et in Caton. Mai. c. 7
d) Varro de Re Ruſtic. L. III. c. 3. 12. et 13.
e) Columell. de Re Ruſtic. L. VIIII. c. 1

D. de *Cont. Empt.* Neque hoc aliquis miretur, inprimis qui cogitauerit CARITATEM ARBORVM, in illis regionibus, in quibus, cum alia deeſſent, quod VLPIANVS ait, etiam uirgae, nuclei oliuarum, balani, et uaria rerum genera, quae comburi poſſent, pro LIGNIS erant, quibus ad ignem faciendum uterentur. l. 55. §. 2. D. de leg. 3

Igitur, cum tantum momentum eſſet in ARBORIBVS, uenditio fundi nulla erat, ſi ARBORES antea DEIECTAE eſſent, QVARVM CONTEMPLATIONE FVNDVS EMEBATVR. Solemus enim aliquando, ſi PAVLLO ET POMPONIO fides eſt, fundos non tam propter ſe, quam propter ACCESSIONES, emere, quibus interdum pars maxima fructus et iucunditatis continetur. l. 34. pr. D. de *Contrab. empt.* et l. 33. D. de *Aedil. edict.* a)

Enimuero ARBORIBVS quidem certe mirifice augeri pretium fundi ueteres credebant. Igitur ſi illarum in fundo copia non eſſet, COEMEBANT SALTVS et ARBVSTA, ut fundum AMOENIOREM poſſiderent. l. 91. §. 5. D. de *leg. 3.* Illud HORATIO FLACCO b) in mentem uenit, eum DELIVM ſuum de breuitate huius uitae admoneret:

Cedes COEMPTIS SALTIBVS, et domo,
Villaque, flauus quam Thiberis lauat,
Cedes; et exſtructis in altum
Diuitiis potietur heres:

ut

a) Copioſe hoc argumentum tractauit *Iacobus Conſtantinaeus* ad l. 34. D. de Contrah. Emt. Subtil. Enotat. L. II. c. 16. in Theſ. Ottonis T. IIII. p. 581

b) Horat. L. II. Carminum, Ode III. v. 17. ſq

Digitized by Google

ut intelligatur, partem praecipuam uillaticae iucunditatis in NEMORE PROPINQVO et ſaltibus uerſari. Nimirum ipſae DOMVS REGIAE, ut iucundiores eſſent, quandoque ARBORIBVS obtegebantur. Ita enim VIRGILIVS MARO a) de ſede ANCHISAE:

- - - ſecreta parentis
ANCHISAE DOMVS, ARBORIBVSQVE OBTECTA, receſſit.

Quare apparet, non ſolum REDITVS, ſed etiam IVCVNDITATIS et ORNAMENTI, cauſſa, ARBORES haberi. Quae ſiquis intelligit, non mirabitur, dominum illum FVNDI, quem Q. MVCIVS et POMPONIVS in l. XXXX. D. de *Act. empt.* a nobis propoſita, adducit, POENITVISSE negotii contracti, cum ARBORES STANTES ex praedio uendidiſſet, quas TRADERE NOLEBAT. Haec enim iactura moleſtiſſima uidebatur, quae commode non poſſet reparari.

Nam, quae ſeminibus iactis ſe ſuſtulit, ARBOR
TARDA VENIT, SERIS FACTVRA NEPOTIBVS VMBRAM. b)

Neque terribilius omen POSTHVMO ſuo obiicere potuiſſet HORATIVS FLACCVS, c) quam, quod ipſi occinit:

LINQVENDA tellus, et DOMVS, et placens
Vxor: NEQVE HARVM, QVAS COLIS, ARBORVM,

Te,

a) Virgil. Aen. II. v. 300
b) Virg. Georg. II. v. 58
c) Horat. II. Carm. 14. v. 21. ſqq

Digitized by Google

Te, praeter inuiſas cupreſſos,
VLLA BREVEM DOMINVM SEQVETVR

Hoc eſt, quod LABEO et TREBATIVS non ſolum ex L. AQVILIA, ſed ètiam ex XII. TABVLIS, dandam eſſe actionem iudicarunt, ſi quis ARBORES FVRTIM CECIDISSET. l. 1. D. *Arbor. furt. caeſ.* Et addit CAIVS noſter, illos qui ARBORES CECIDERINT, aliquando tanquam LATRONES a magiſtratibus punitos eſſe. l. 2. D. *eod.* Praeterea conſtat, qua ſeueritate NOSTRI etiam SAPIENTISSIMI PRINCIPES in illos animaduerti iuſſerint, qui manus improbas ab ARBORIBVS STANTIBVS in fundo alieno non prohibuiſſe intelligantur. CONSTIT. ELECT. SAX. XXXVII. P. IIII

Sed, ut reuertar ad Romanos, non exigua pars pretii, quo fundum aeſtimabant, in ARBORIBVS STANTIBVS uerſari credebatur. Quod cum intellexiſſet IAVOLENVS, etiam illi, qui agrum VENDIDISSET, nihilominus ARBORVM FVRTIM CAESARVM agere permiſit aduerſus illos, qui CAESIS ARBORIBVS ipſi pretium fundi deminuiſſe dicerentur. l. 12. D. *Arbor. furt. caeſ*

Extremo haec uidebatur grauiſſima et moleſtiſſima coercitio uicini, qui poſita ARBORE uicino umbram faceret, et, loco non ſatis opportuno, poſitam adimere tergiuerſaretur, quod uicino illam adimere et ſibi poſtea habere, iure quiritium liceret, cum PRAETOR hoc uicino permiſerit. l. 1. pr. et §. 2. D. de *Arboribus caedendis*

Vides, qua diligentia Romani ARBORES cuſtodiuerint, ut pretium fundi integrum poſteritati ſeruaretur. Sed non omittendum eſt, etiam MORTVOS quandoque circa SEPVLCHRA umbram ARBORVM deſideraſſe. Adducit enim

Digitized by Google

PAPINIANVS quoſdam, qui INTRA MACERIAM SEPVLCHRORVM HORTOS ſeruari uoluerunt, l. 73. § 1. D. de *Contrab. Emt.* et apud P. VIRGILIVM MARONEM a) extat

Regis Dercenni terreno ex aggere BVSTVM
Antiqui Laurentis, OPACAQVE ILICE TECTVM

Loquuntur etiam lapides litterati apud KIRCHMANNVM, b) quot pedes et quanta ſpatia Romani deſiderauerint, ad iuſtum modum magnifici SEPVLCHRI: et M. TVLLIVS c) non ſolum apud ATHENIENSES, ſed etiam apud ROMANOS lege opus fuiſſe docet, qua ſepulchrorum amplitudo et laxitas coerceretur. MACER etiam et VLPIANVS derident illos teſtatores, qui AMPLVM quid in SEPVLCHRIS aedificari iuſſerint, uelut in circum porticationes, aut, qui hortos, aut integrum locum ſepulturae deſtinauerint: l. 2. §. 5. et l. 37. D. de *Relig. et ſumpt. fun.* quorum luxuriam MARCELLVS et ALFENVS VARVS l. 2. D. Ad *L. Falcid.* et l. 27. D. de *Condit. et Demonſt.* ad SPECIEM MODICAM reuocauerunt. Sed de hoc quidem argumento PRAESES meus alibi copioſius expoſuit. d)

Diſcederem ab hoc loco, niſi hoc unum mereretur obſeruari, etiam MAIORES NOSTROS, ſi C. CORNELIO TACITO fides eſt, cum ſedes inter ſe iunctas pati non poſſent, ſed diſcreti ac diuerſi habitarent, pleroſque, ut fons, ut campus, ut NEMVS inprimis, placuiſſet, aedificia in-

a) Virg. Aen. XI. u. 855. ſqq
b) Kirchmannus, de Funer. Rom. L. III. c. 17. et 21
c) Cic. L. II. de Leg. c. 23
d) Praeſ. de Monument. ſecundum teſtatoris uoluntat. faciendo, ad L. XIIII. §. 4. D. de Relig

inſtituiſſe, a) illosque praeterea NEMORA et lucos, et proceras ARBORES, tanquam deorum habitacula, inſigni reuerentia conſecrauiſſe b)

II

ARBORES STANTES
PRO PARTE REI IMMOBILIS HABENTVR
ET CVM FVNDO TRANSEVNT AD POSSESSOREM.
ARBORES DEIECTAE
NON SVNT FRVCTVS FVNDI
NEQVE AD FRVCTVARIVM SIMPLICITER PERTINENT.
QVID INTER LIGNA ET ARBORES
ET MATERIAM
DISCRIMINIS INTERSIT.
ARBORES SYLVESTRES, CREMIALES.
ARBORES MANV SATIS
OPPONVNTVR

Ex his, quae adhuc diſputata ſunt, apparet, ARBORES STANTES, quas MVCIVS et POMPONIVS in l. XXXX. D. de *Act. empt.* a nobis propoſita appellat, ARBORES STANTES, inquam, quae CVM FVNDO COHAERENT, magnam partem pretii et fructus et iucunditatis continere. Sed dicimus ARBOREM STANTEM, quae RADICES EGIT in fundo, et, ſecundum POMPONIVM, IN FVNDO

a) Tacit. de Moribus Germ. c. 16
b) Idem loc. cit. c. 10

DO CONTINETVR. d. l. 40. D. de *Act. empt.* Neque enim ulla PROPRIE eſt ARBOR, niſi quae CONCEPERIT RADICEM, l. 3. §. 3. D. *Arbor. furt. caeſ.* et, quae terram comprehenderit, ſecundum POMPONIVM et VLPIANVM l. 3. §. 4. D. *eod.* Quapropter de VITIBVS, quae radices agunt, dubitare non poſſumus, quin appellatione arborum contineantur: quod et GAIO et VLPIANO l. 1. §. 3. D. de *Arbor. caed.* et l. 2. l. 3. pr. D. *Arbor. furtim. caeſar.* placuiſſe uideo.

Neque enim diſputatione res indiget, ſi VIRGILIVM MARONEM, cuius, ut aliorum poetarum, magna apud ICtos auctoritas fuit, audiamus: ille enim VITES ARBORIBVS etiam decori eſſe, et praecipuo inter illas loco conſtitui, oſtendit: a)

VITIS ut ARBORIBVS decori eſt, ut uitibus uuae,
Vt gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus aruis,

atque idem alio loco:

Non eadem ARBORIBVS pendet VINDEMIA noſtris b)

Vt intelligatur, ARBORVM nomine ueteres inprimis VITES, ex quibus expectamus VINDEMIAM, et omnia, quae radices habent, comprehendiſſe

Igitur ARBORES ſtantes quidem appellamus, quae RADICES EGERINT, et TERRA CONTINEANTVR, et COHAEREANT CVM FVNDO. Sed haec talia quis non uidet FVNDI eſſe PORTIONEM. Abſciſſe enim GAIVS, RATIONEM

a) Virg. Ecl. V. u. 33
b) Virg. Georg. II. u. 90

Digitized by Google

NEM, ait, id eſt, IVRIS REGVLAM non permittere, ut ALTERIVS ſit ARBOR, quam cuius in fundo radices egiſſe intelligatur, l. 7. §. 13. D. de *Acquir. rer. dom.* Nec minus eleganter PAVLLVS, ARBOREM, ubi COALVERIT, AGRO CEDERE, l. 26. §. 2. D. de *Acquir. rer. dom.* itemque alio loco, ſi quid cum re noſtra COHAEREAT, illud NOSTRVM eſſe, oſtendit, l. 23. §. 2. D. de *Rei vindicat.* Sed luculentius paullo VLPIANVS, FVNDI eſſe, ait, quidquid TERRA SE TENERE VIDEATVR. l. 17. pr. D. de *Act. empt*.

Igitur dicemus, quae CVM FVNDO COHAEREANT, pro PARTE FVNDI accipi, et cum fundo ad poſſeſſorem quemlibet transferri. Ita quidem GAIVS etiam de FRVCTIBVS PENDENTIBVS interpretatur, ut, quia cum corpore, quod terra continetur, cohaereant, PARS FVNDI eſſe uideantur. l. 44. D. de *Rei uindicat.* Imo uero generaliter DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS l. 11. C. de *Rei Vind.* ſegetem, quae terram amplexa ſit, AD DOMINVM FVNDI aiunt pertinere.

Ex eodem fonte deducitur, quod, ſecundum POMPONIVM, ſi fundus EVINCATVR, MANV SATA et omnes fructus, etiam INDVSTRIALES atque MIXTI, a POSSESSORE priſtino NON TOLLI poſſint, ſed ad euincentem pertineant: cum CONSITA pro PARTE FVNDI habeantur. l. 53. D. de *Rei Vindicat.* Enimuero, ſi VLPIANO obſequimur, FVNDVS eſt INTEGRVM aliquid, quod omnes partes, et quaecunque cum ipſo COHAERENT, omnino comprehendit. l. 60. pr. D. de *Verb. Sign.*

Ex quibus rebus intelligitur, non ſolum ARBORES STANTES, ſed quaecunque etiam MANV SATA ſint, omnemque ſegetem, et PENDENTES FRVCTVS, portionem fundi eſſe, et cum illo ad alios transferri.

Digitized by Google

Imo uero, ſecundum PAVLLVM, nec uenditor, fundo ALIENATO, MANV SATA tollere et retinere poteſt, quae ad terram adhaerent, niſi PACTO et LEGE VENDITIONIS manu ſata exceperit. l. 40. § 3. D. de *Contrah. empt*

Hactenus igitur nihil inter ARBORES STANTES et MANV SATA intereſt, ut, cum utrumque genus CVM TERRA COHAEREAT, et ARBORES et MANV SATA cum fundo ad quemcunque poſſeſſorem transferantur. Sed hoc loco tamen admonendum eſt, NON omnino CONFVNDENDA eſſe illa, quae MANV SATA ſint, cum ARBORIBVS, quae aluntur in fundo ad fructum et iucunditatem. Enimuero MANV SATA dicimus, quae SINGVLIS ANNIS SERI ſolent, ad utilitatem exigui temporis, ut fructus eorum annis ſingulis tollantur. Sed ARBORES fere in PERPETVVM ſatae ſunt, ut NEPOTIBVS umbram faciant, atque ad poſteritatem propagentur. Ita LABEO rem interpretatus eſt. l. 80. pr. D. de *Contr. Emt*

Dicemus igitur, et MANV ſata et ARBORES eſſe fundi portionem, ſed ARBORES ſub illis, quae MANV SATA ſunt, non comprehendi, cum haec ad fructum praeſentem, illae ad fructum diuturniorem, aut perpetuam iucunditatem, comparentur

Quare intelligitur, ſi VSVSFRVCTVS fundi cuiquam relictus ſit, MANV quidem SATA; quae FRVCTVS tollendi cauſſa comparata ſint, ad FRVCTVARIVM referri, ARBORES STANTES uero, ex PAVLLI interpretatione, inprimis grandes atque ad ſpem ſeculi futuri pertinentes, non recte ab illo CAEDI iure VSVSFRVCTVS, l. 11. D. de *Vſufructu*

Nimi-

Nimirum generaliter VLPIANVS intercedit, ne poſſit ille CAVSSAM PROPRIETATIS DETERIOREM FACERE, ad quem IVS VSVSFRVCTVS pertinet, l. 13. §. 4. D. de *Vſufr.* Vnum ipſi POMPONIVS permittit, ut ex SYLVA CAEDVA pedamenta, atque ex arbore ramos aliquando, ex NON CAEDVA ſylua ad neceſſitates duntaxat ſumat, quantum ſumi poſſit, ut fundus NON DETERIOR factus eſſe uideatur l. 10. D de *Vſufr.* Et CAEDVAM quidem ſyluam, quae, SERVIO interprete, l. 30. D. de *Verb. ſignif.* quamuis SVCCISA, ex ſtirpibus et radicibus RENASCITVR, etiam PAVLVS IN FRVCTV eſſe atque ad fructuarium referri docet. l. 40. §. 4. D. de *Contrah. Empt*

Sed ita quidem de STANTIBVS ARBORIBVS habendum eſt. Haud paullo ſecius quis iudicauerit, ſi de ARBORIBVS CAESIS ET DEIECTIS quaeſtio naſceretur.

Primo enim non indignum erit obſeruari, ARBORES DEIECTAS, quae STANTIBVS et CVM FVNDO COHAERENTIBVS a POMPONIO noſtro opponuntur, l. 40. D. de *Act. empt.* arbores, inquam, deiectas eſſe SEPARATA a FVNDO CORPORA, et CVM FVNDO, niſi aliud actum ſit, quaſi PARTEM FVNDI, non transferri. Luculenter enim GAIVS docet, ſi, priusquam fundus emeretur, ARBORES tempeſtate DEIECTAE fuerint, quod arbores PARS FVNDI eſſe DESIERINT, et quaſi SEPARATVM CORPVS apud uenditorem manere poſſe uideantur. l. 9. D. de *Peric. et commodo rei vend.* Imo uero, ſi ante uenditionem DEIECTAE ſint, et harum contemplatione fundus inprimis emptus fuerit, non ſubſiſtere venditionem, ſupra ex PAPINIANO eſt a nobis obſeruatum l. 58. D. de *Cont. empt*

Itaque DEIECTAE quidem aut ERVTAE ARBORES deſinunt pars fundi eſſe, et, ſi cum agro alterius COALVERVNT, agro

agro alterius cedere uidentur: imo, rurſus ERVTAE, non ad priorem dominum reuertuntur, ſed illius manent, ex cuius agro, tempore nouiſſimo, erutae fuerunt. Hoc enim PAVLLO placuit, l. 26. §. 2. D. de *Adquir. rer. dom*

Habes primum diſcrimen, quod inter ARBORES ſtantes, et DEIECTAS atque a fundo SEPARATAS, intercedit. Deinde non omittendum eſt, quod VLPIANVS obſeruauit, arbores, quae VI TEMPESTATIS CECIDERVNT, non quidem eſſe PARTEM FVNDI, ſed neque tamen INTER FRVCTVS COMPVTARI. l. 7. §. 12. D. *ſolut. matrim.* Et MARITVS quidem certe ARBORES, quae in FVNDO DOTALI ui tempeſtatis ceciderunt, non totas lucrabitur, ſed ſoluto matrimonio partem dimidiam pretii reſtituet uxori, non ſecus, ac ſi THESAVRVM in fundo alieno inueniſſet. Ita enim VLPIANVS reſpondit d. l. 7. §. 12. D. *ſolut. matrim.* cum ad uxorem, quae NATVRALITER fundi DOMINA eſt, arbores deiectae inprimis pertinere uideantur

Paullo durius VSVFRVCTVARIVM LABEO tractauit. Illi enim, ſecundum huius diſciplinam, ne pars dimidia quidem ARBORVM, quae EVVLSAE ſint, aut ui tempeſtatis fortuitae DEIECTAE, relinquetur, cum appareat, illas ad fundi SVBSTANTIAM, non ad fructus, pertinuiſſe: ſed ad ſuas NECESSITATES, atque ad VSVM et REFECTIONEM uillae, ſi aliunde ligna et materia non ſuppetant, ſubinde ſumere poterit, quantum neceſſitas exiget, EX ARBORIBVS DEIECTIS, l. 12. pr. D. *de Vſufruct*

At uero liberalior PAVLLVS fuit, qui, quamuis ARBORES DEIECTAS non ad fructuarium omnino referat, tamen ipſum non cogit, ut in locum arborum EVVLSARVM aut DEIECTARVM alias SVBSTITVAT, cum ipſi ex euulſis et deiectis non omne commodum omnino relinquatur. l. 59. pr. D. de *Vſufr.* Contra, in locum DEMORTVARVM ARBORVM, quae totae ad FRVCTVARIVM

per-

pertinent, quod nouas SVBSTITVERE cogatur, idem PAVLLVS alio loco comprobauit. l. 18. D. de *Vſufr*

SATIS, credo, oſtendimus, ARBORES VI TEMPESTATIS ERVTAS, aut VENTO DEIECTAS, (noſtri Wind-Brüche appellant,) FRVCTV FVNDI non omnino contineri, ſed eſſe corpora, ab IPSA SVBSTANTIA FVNDI, VI TEMPESTATIS, SEPARATA, quae ad dominum proprietatis pertinere uideantur. Praeterea monendum eſt, ARBORES DEIECTAS plerumque MATERIAE nomine inprimis comprehendi. Ita enim VLPIANVS l. 12. pr. D. de *Vſufr.* rem interpretatur, et prohibet, ne quis MATERIA, id eſt, ARBORIBVS DEIECTIS, pro LIGNIS uti poſſit. Item etiam PAVLLO placuit, ut arbores, pali, et perticae, non pro lignis, ſed pro MATERIA omnino habeantur. l. 168. D. de *Verb. ſignif.* Sed GALLVS AQVILIVS apud MELAM ARBORES CAESAS et DEIECTAS MATERIAE CAESAE appellatione comprehendit. l. 17. §. 6. D. de *Act. empti.* Imo uero generaliter, QVIDQVID POTEST IN ALIAM SPECIEM CONVERTI, aut EX QVO NOVVM ALIQVID FIERI POTEST, MATERIAM dicere ſolemus, quod GAIVS obſeruauit l. 7. §. 7. D. de *Adquirend. rer. domin.* Sed, ſenſu ſingulari et excellentiori, omnia ex quibus AEDIFICIA fiunt, MATERIAE appellatione continentur. d. l. 7. §. 10. et 12. D. de *Adquir. rer. dom.* et l. 47. D. de *Act. empt.* Quod et NOSTRI non ignorant, qui, uoce GERMANICA Bau-Materialien, nihil non ſignificant, quod ad uſum aedificandi pertinere poſſe uideatur

Igitur arbores DEIECTAE et EVVLSAE ad MATERIAM plerumque referuntur. Neque tamen negligendum eſt, haec talia, alio nomine RVTA CAESA appellari. Generaliter enim Q. MVCIVS SCAEVOLA, in RVTIS CAESIS eſſe, ait, quae TERRA NON TENEANTVR, et

SEPARATA ſint a fundo, ut poſſint ad opus faciendum adhiberi. l. 241. D. de *V. S.* Et paullo clarius AQVILIVS GALLVS RVTA eſſe, ait, quae ERVTA ſint, CAESA, quae DEIECTA, ut ARBORES caeſae, et carbones. l. 17. §. 6. D. de *Act. Empt*

Ex his autem, quae adhuc comprobata ſunt, intelligetur, ab ARBORIBVS DEIECTIS LIGNA quodammodo DISTINGVI. De his quidem OFILIVS et VLPIANVS diſputarunt. l. 55. §. 1. et 2. D. de *leg. 3.* Sed receptum eſt, ſecundum VLPIANVM, ut hae demum ARBORES LIGNA appellentur, quae DESTINATAE ſint, ut CONCIDANTVR, IGNIS FACIENDI CAVSSA. l. 55. §. 2. D. de *leg. 3.* Atuero AD COMBVRENDVM DESTINATAE ſunt, quae uulgo CAEDVAE, aut CREMIALES, aut, quod alii malunt, GREMIALES appellantur, quod idem VLPIANVS obſeruauit. l. 7. §. 12. D. *ſolut. matrim*

SALMASIVS quidem IN EXERCITATIONIBVS PLINIANIS, itemque HOTTOMANNVS arbores CREMIALES rectius dici, ait, quaſi a CREMANDO, non a GREMIO, quo ruſtici ligna COLLECTA, des Leſe = Holtz, domum ferre ſolent. Ne quid nos teneat, audiamus COLVMELLAM, a) qui ligna CREMIA dici, ait, quae TENVIA ſint, ut alius illorum uſus, niſi, VT COMBVRANTVR et ignem faciant, eſſe non poſſit. Sed de his quidem diligentiſſime ALCIATVS b) noſter tradidit.

Extremo obſeruandum eſt, *in Ordinatione ſylueſtri Saxonica* Diui AVGVSTI, A. 1560. promulgata, inter LIGNA CRE-

a) Columell. de Re Ruſtic. L. XII. c. 19
b) Alciatus ad L. XXX. de Verb. Signif. Op. T. II. p. 905

Digitized by Google

CREMIALIA et alias ARBORES DEIECTAS, die Wind-Brüche, diſcrimen luculentiſſimum conſtitutum eſſe. a)

III

DOMINVS FVNDI
ARBORES STANTES VENDERE POTEST,
NON VERO SIMPLICITER FRVCTVARIVS,
NEC MARITVS.
AN VASALLVS RECTE VENDAT
ARBORES IN FEVDO STANTES.
AN PAROCHVS EX SYLVA PAROCHIALI
AN EX FVNDO OPPIGNORATO
DOMINVS ARBORES VENDERE POSSIT

COMPROBAVIMVS igitur, ARBOREM STANTEM, quae IN FVNDO CONTINETVR, SEPARATVM A FVNDO CORPVS NON ESSE, quod POMPONIVS docet, l. 40. D. de *Act. empt.* ſed, tanquam PARTEM FVNDI ad poſſeſſorem praedii tranſire. Supereſt, ut, quis EMERE aut VENDERE poſſit PARTEM ILLAM FVNDI, quae ARBORIBVS STANTIBVS in fundo continetur, breuiter expediamus. Et de EMPTORE quidem nulla fere controuerſia eſt, cum quilibet, qui res ſuas libere adminiſtret, etiam EMERE res alienas poſſit, niſi luculento iure ab EMPTIONIBVS prohibeatur. De FRVCTVARIO duntaxat dubitatum, utrum EMERE poſſit ARBORES, quarum FRVCTVS, cum

a) Forſt- und Holtz-Ordnung d. A. 1560. §. Wenn aber, In Codice Aug. T. II. p. 492.

Digitized by Google

cum ipſius fundi uſufructu, ad ipſum IVRE REALI uidentur pertinere. POMPONIVS quidem negat, EMPTIONEM ualere, ſi quis SVAM rem emerit, uel ſciens vel ignorans. l. 16. pr. D. de *Contrah. Empt.* Igitur poſſet obtendi, ne FRVCTVARIVM quidem, qui PARTICVLA DOMINII AD TEMPVS fruitur, emere omnino poſſe partem ſubſtantiae ſibi obligatae. Sed opportune occurrit idem POMPONIVS, ualere emptionem ſi VSVSFRVCTVS duntaxat ſit emptoris l. 16. §. 1. D. de *Contrab. Empt.* Videtur enim illud emiſſe, quod ipſi deeſt de proprietate, et quod ipſi non permiſſum eſt ſolo iure uſusfructus

Sed res plus difficultatis habet, ſi de VENDITORE, et quis recte VENDAT ARBORES IN FVNDO STANTES, diſputemus

Et primo quidem POMPONIVS, in lege a nobis propoſita XXXX. D. de *Act. Empti,* DOMINVM FVNDI ex praedio ARBORES STANTES uendidiſſe, ait, ideoque ualere hanc uenditionem, ut EX EMPTO agi poſſit. Vix enim locus eſſe poteſt dubitationi, quin DOMINVS, ad quem FVNDVS tanquam INTEGRVM CORPVS pertinet, niſi lex ſpecialis obſtet, etiam de PARTIBVS fundi et de rebus, quae cum fundo cohaerent, libere diſponat. Sed noli tamen illud temere et ſine diſcrimine omnino affirmare.

Enimuero, qui non PERPETVVM et ABSOLVTVM et PLENVM DOMINIVM, quod noſtri appellant, adquiſiuit, ſed limitatum et reuocabile, aut qui rem tertio reſtituere tenetur, illi nullius rei, niſi quae ſalua fundi ſubſtantia alienari et conſumi poſſit, uenditionem permittere ſolemus

Sed copioſe diſputauimus, arbores STANTES ad fundi SVBSTANTIAM referri, ideoque, niſi CAEDVAE ſint

ſint et renaſcantur, ſine fundi DETRIMENTO neque caedi neque uendi poſſe. Quare dicemus, ARBORES STANTES ab illo, qui rem alteri aliquando reſtituere obſtrictus ſit, ſuccidi et uendi non poſſe, niſi demortuae fuerint, aut caeduae, et generaliter, niſi ſuccifione et uenditione illa pretium fundi non deminuatur. Ex hac cauſſa deducitur, quod et MARITVS uxori teneatur, ſi in fundo dotali arbores non caeduas ceciderit, et FVNDVM DETERIOREM fecerit ARBORVM SVCCISIONE. Quod ſupra, ex l. 7. §. 12. D. *Solut. matr.* a nobis obſeruatum eſt.

Non multo ſecius de illo iudicabimus, qui PIGNORIS iure res ſuas obligauit creditori. MARCELLVS enim auctor eſt, debitorem, ſi rem oppignoratam deteriorem reddiderit, ut noceret creditori, de eo, quod intereſt, teneri. l. 27. D. de *Pignorib. et hypothec.* Quapropter audiendus eſt creditor, aduerſus debitorem, qui ſyluam obligatam, CAEDENDO ARBORES, exſtirpat, aut corrumpit et conſumit, ut pretium fundi imminutum non ſufficiat aeri alieno exſoluendo. Solent enim iudices, ad petitionem creditoris, ARBORVM SVCCISIONEM atque uenditionem ſubinde PRAECEPTIS POENALIBVS impedire, aut ſeuerioribus remediis uti, ſi res moram non ferre uideatur.

Supereſt, ut de VASALLO uideamus, quem et ipſum feudi DOMINIVM VTILE, ſiue, quod ueteres dicebant, IVS DOMINIO PROXIMVM nanciſci, et PRO DOMINO HABERI, expeditum eſt, 2. F. 8 cum et fundum, QVASI DOMINVS, a quocunque uindicare poſſe cenſeatur. Sed VASALLVM quidem ſcimus prohiberi, ne fundum deteriorem faciat, ſine DOMINI DIRECTI et SIMVLTANEE INVESTITORVM aut AGNATORVM etiam conſenſu. 2. F. 8. in fine. Igitur certius uidetur, ne quidem SYLVAM CAEDVAM recte corrumpi a uaſallo, aut ab ipſo arbores ſuccidi et in emptores transferri,

ferri poſſe, ſi hac uenditione de pretio fundi aliquid decedat. Imo uero, ſi DOMINO uel aliis ius BANNI FERINI competat, ita utendum eſt ſylua caedua, ne VENATIONI damnum inferatur: Daß das Holtz nicht gantz verödet, der Wild-Bahne kein Schaden zugefüget, noch das Wild in ſeinem Stande geſtöret werde. a) Apud Saxones quidem Auguſtiſſimus PATER PATRIAE in *clementiſſimo Edicto* de PROPAGATIONE ARBORVM Anno clɔ Iɔcc xxvi. propoſito, §. XIII, exſpectat et exigit a VASALLIS ſuis, ut TANQVAM BONI PATRESFAMILIAS ſaltibus et nemoribus utantur. Daß unſere getreue Vaſallen und Unterthanen, welche mit Heyden und Wäldern beliehen, oder dergleichen ſonſt beſitzen &c. ihre Heyden und Wälder haußwirthlich tractiren ſollen, Quare apparet, ne his quidem graſſandi temere in ſyluis licentiam concedi, ſed moderate utendum eſſe iure ARBORES caedendi

Praeterea de FRVCTVARIO ſupra comprobauimus, cum STANTES ARBORES, niſi CAEDVAE ſint aut CREMIALES, FRVCTVVM appellatione non contineantur, illum ARBORES excidere non poſſe, l. 12. pr. et l. 13. §. 4. D. de *Vſufr.* Sed CAEDVA quidem ſylua, ſecundum TREBATIVM, ut BONVS PATERFAMILIAS utetur. l. 9. §. 7. D. de *Vſufr*

Quae cum ita ſint, quid tandem de PAROCHO dicemus, cui ſubinde leges eccleſiaſticae VSVSFRVCTVM SYLVAE PAROCHIALIS, des Pfarr-Holtzes, libera-

a) Struv. C. VI. theſ. XI. n. 3
Mohr. de Iure uenandi C. 3. n. 23
Gryph. Oecon. Legal. Obſerv. 18. n. 17
Horn. Iurisprud. Feud. C. VII. §. 12

raliter concedunt. An dicemus, CAEDERE ipſum poſſe ARBORES, aut VENDERE, ex PAROCHIALI SYLVA CAEDVA, ut ipſe commodius alatur? Et SAXONICA quidem LEGE ſapientiſſima conſtitutum eſt, ut, auctoritate et conſenſu ſuperioris, illorumque, QVORVM INTEREST, ad VSVM SVVM, et neceſſitates familiae, caedere ARBORES CREMIALES poſſit: praeterea nullae ipſi arbores omnino conceduntur, ne fundus deterior ad poſteritatem transmittatur

Als auch befunden, daß die Pfarr-Gehöltze durch die Pfarrer zu Zeiten aus Geitz, oder ſonderlich eigenem Nutzen, vorſetzlich mercklich verhauen und alſo verwüſtet worden, daß etwa ihnen ſelbſt, auch ihren Nachkommen, an jährlicher Beholtzung mangelt, So wollen wir, daß hinführo denen Pfarrern ihres Gefallens Holtz zu hauen nicht verſtattet, beſondern, nach Gröſſe und Gelegenheit, auch Abtheilung des Holtzes, und an guten gelegenen Orten, (damit es wiederum wachſen, und nicht etwas gar verhauen werden möge) mit Vorwiſſen der Erb- und Lehn-Herren, (da die vorhanden, oder zu erlangen,) oder, in deren Mangel, des Richters, oder Kirch-Väter, nothdürfftig Feuer-Holtz zu hauen angeweiſt, und ferner nichts, weder durch ſie, die Pfarrer, Kirch-Väter, oder jemand anders, aus den Pfarr-Höltzern zu Brenn-Holtz, oder Bauen, etwas gehauen werde, damit alle nachkommende Pfarrer, ſo wohl und viel Holtzes finden und haben mögen, wie die jetzigen Pfarrer haben und bekommen. ꝛc. a)

a) Ordin. Sax. Eccleſ. art, gener. 31. Von Pfarr-Höltzern Cod. Aug. T. I. p. 458

Igitur Saxones uix quidem ius VENDENDI ARBORES ex PAROCHIALI SYLVA parocho concedent; cum VSV LIGNORVM neceſſitas duntaxat PROPRIA, nothdürfftig Brenn-Holtz, non IVS VENDENDI ARBORES, contineatur

Imo uero generaliter Illuſtris BOEHMERVS a) de IVRE COMMVNI, etiam ex INGENTI ſylua, ex qua ARBORES ſine cuiusquam incommodo et pretii deminutione VENDI poſſent, negat ius VENDENDI ARBORES PAROCHIS competere, ſed pecunias EX ARBORIBVS VENDITIS redactas ſub foenore elocandas, et uſuras duntaxat parochis diſtribuendas eſſe, ait. In eandem fere ſententiam ante ipſum CARPZOVIVS b) reſpondit

Sed extra SAXONIAM quidem, in illis regionibus, in quibus PROVINCIALI LEGE ius VSVSFRVCTVS, parocho in ſyluis parochialibus conceſſum, non reſtrictum eſt, uidetur TREBATII ſententia PAROCHIS fauere, ut non ſolum ad ſuos uſus ligna ex SYLVA CAEDVA ſumere, ſed etiam VENDERE poſſint arbores, ſi uenditione pretium fundi non imminuatur, l. 9. §. 7. D. de *Vſufr.* Qua ex cauſſa, ut a PRAESIDE accepi, ICTI VITEMBERGENSES, Menſe Ianuario huius anni, ad conſultationem EXTERORVM, Praefecti Wintzenburgenſis ſententiam confirmauerunt, qua PAROCHO IVS VENDENDI ARBORES EX SYLVA PAROCHIALI conceſſerat, et ſolam moderationem BONI PATRIS FAMILIAS ipſi praecipiendam eſſe duxerat. His enim ICti noſtri rationibus inprimis utebantur:

Die-

a) Boehm. in Iure Parochiali, ſect. V. c. 2. §. 24
b) Carpzov. Iurisprud. Conſiſt. L. I. Tit. VII. def. 101. n. 5. et 6

Dieweil dem Paſtori, wenn nicht ein anderes ausdrücklich verordnet, der Nießbrauch des Pfarr-Holtzes unſtreitig zuſtehet, mithin derſelbe in ſylua caedua, wenn der Werth ſolcher Holtz-*Portion* dadurch nicht vermindert wird, auch Bäume fällen und verkauffen kan,

l. 9. §. ult. l. 10. et. 11. D. de Vſufr

ſeine ſucceſſores aber, daferne das Grund-Stück und deſſen Nutzung in vorigem Stande erhalten wird, ſich begnügen müſſen, So iſt voriger Beſcheid von uns billig confirmiret worden

IIII

SYLVA CAEDVA

AD TEMPVS VENDI POTEST.

QVID INTERSIT

INTER VENDITIONEM TEMPORARIAM

ET LOCATIONEM

SYLVAE CAEDVAE

NEMO igitur facile dubitauerit, quin a DOMINO ſubinde, SALVO IVRE TERTII, inprimis ſi fundi pretium non imminuatur, ARBORES, STANTES in praedio, efficaciter uendantur. Conſequens eſt, ut de ipſa FORMVLA uenditionis huius uideamus. Et primo quidem, ſi quis ſpecialiter QVASDAM duntaxat ARBORES, STANTES in praedio, uendiderit emptori, manifeſtum eſt, quid actum ſit, et quod ſolum IVS TOLLENDI ILLAS ARBORES uenditum eſſe uideatur.

D Sed

Sed impeditior eſt illa formula, quam LABEO proponit, l. 80. §. 2. D. de *Contrah. empt.* ſi conuenerit, ut, non arbores ſingulae, ſed IPSA SYLVA CAEDVA PER ANNOS ALIQVOT VENDITA SIT EMPTORI. In hac enim ſpecie, non arbores, ſed ipſe fundus per tempus aliquod uenditus uideri poſſet, quaſi OMNIS VTILITAS et omne ius de SYLVA CAEDVA liberrime omnino diſponendi ad emptorem transferatur. IVLIANVS certe fauet illi ſententiae, ut cum fundo ipſum etiam ſolum a domino alienatum uideatur. l. 81. §. 3. D. de *leg.* 1

Imo MARCELLVS et VLPIANVS, fundo etiam AD TEMPVS cum CONDITIONE RESOLVTIVA uendito, DOMINIVM INTERIM TRANSFERRI iudicarunt. l. 4. §. 3. D. de *In diem addict*

Sed obſtat huic ſententiae, quod, ſi emptori ius CONSVMENDI ſyluam caeduam tribuamus, et arbores, quae ad SVBSTANTIAM ſyluae quodammodo pertinent, exſtirpandi poteſtatem faciamus, fruſtra IN ALIQVOT ANNOS DVNTAXAT uenditio facta eſſe uideatur: cum uenditori SPES INANIS ſyluam caeduam elapſo tempore recuperandi, EXSTIRPATIS ARBORIBVS, relinqueretur. Ideoque LABEONI quidem fere non uidetur omnis VTILITAS SYLVAE CAEDVAE, ſed ſolum IVS CAEDENDI et TOLLENDI ARBORES, ad emptorem pertinere. l. 80. §. 2. D. de *Contr. empt.* Proximo enim uerſiculo antecedente, §. 1. eiusdem legis, de VENDITIONE IVRIVM coepit diſputare. Imo uero LABEO cum SERVIO negat, niſi aliud actum ſit, GLANDEM, quae in ſylua in quinquennium uendita DECIDISSET, emptoris eſſe, quamuis haec in dubio AD DOMINVM fundi referatur: negat, inquam, GLANDEM emptoris eſſe, praeter illam, quae in ARBORIBVS fuiſſet, cum ipſae ab emptore caederentur. Itaque VENDITOREM potius GLANDEM et fructus ſyluae retinere cen-

ſet,

ſet, emptorem uero duntaxat ARBORES, QVAS IPSE CECIDERIT, et glandem cum illis cohaerentem, ex illo negotio lucrari. l. 80. § 2. D. de *Contrab. empt*

Quae cum ita ſint, apparet, emptori legem BONI PATRISFAMILIAS in illa uenditione impoſitam uideri, NE FVNDVM DETERIOREM faciat, neue pretium fundi INTERNVM, quod fuit tempore contractus, caeſis promiſcue arboribus imminuatur

Sed uidendum eſt, utrum illa ſit VERA VENDITIO, ſi IVS VTENDI SYLVA CAEDVA AD CERTVM TEMPVS, SALVA SVBSTANTIA, pro pecunia numerata, uenditur emptori. Enimuero uidetur fere magis LOCATIO eſſe, quam VENDITIO, ſi IVS VTENDI pro mercede transferatur

Nimirum, quod GAIVS ait, l. 2. pr. et §. 1. D. *Locati*, eſt quaedam FAMILIARITAS et proxima CONIVNCTIO inter VENDITIONEM et LOCATIONEM, ut interdum quaeri debeat, an ſit EMPTIO an CONDVCTIO. Ideoque ſecundum POMPONIVM, PAVLLVM, HERMOGENIANVM atque IAVOLENVM l. 6. §. 1. et 2. l. 21. §. 4 D. de *Action. empt.* l. 3. D. *Locati*. l. 75. et l. 79. D. de *Contrab. empt.* contractui emptionis conductio, conductioni emptio interdum adiicitur, ut deinde EMPTOR etiam de illo, quod ex CONDVCTIONE debetur, actione EMPTI experiri poſſit, ſi principaliter EMPTIO celebrata eſſe uideatur

Neque negari poteſt, interdum DVBIVM DISCRIMEN eſſe, quo conductio ab emptione ſeiungatur. Sed LABEO tamen inuenit aliquod diſcrimen, quo facillime uenditio locatioque diſtinguantur. Ait enim, non uideri EMPTIONEM, ſi de rei uenditae DOMINIO id agatur, NE ILLVD TRANSIRE POSSIT AD EMPTOREM: hoc enim ſi actum ſit, potius

LOCATIONEM eſſe, aut genus aliud contractus. l. 80. §. 3. D. de *Contrah. empt*

Idem et IAVOLENO uerius eſſe uiſum eſt, ut, quoties res uendita ALIENETVR, VENDITIO, non LOCATIO, ſubeſſe intelligatur. l. 65. D. de *Contrah. Empt*

Quid igitur de SYLVA CAEDVA IN ALIQVOT ANNOS DVNTAXAT VENDITA, conſtituemus, cum hac uenditione ſolum ius caedendi arbores ad tempus aliquod transferri uideatur. Videlicet, ſi, ANIMO VENDENDI, negotium contractum ſit, dicendum eſt, quamprimum emptor caedere ſyluam coeperit, pretio uenditori numerato, IVS REALE per QVASI TRADITIONEM tranſire ad emptorem, ſed REVOCABILE, et RESTRICTVM AD SOLAS ARBORES, ſaluo fundi pretio interno, CAEDENDAS: ideoque etiam POSSESSIONEM et periculum ad EMPTOREM pertinere: l. 2. §. 1. D. de *In diem addict.* Contra, ſi quis CONDVXERIT uſum ſyluae pro mercede, in perſonam locatoris duntaxat habebit actionem, et rei interitu, ſi ſylua ſine culpa conductoris igne abſumpta fuerit, liberabitur neceſſitate penſionis exſoluendae. Ceteras LEGES et FORMVLAS, quibus FRVCTVS PENDENTES et cum fundo COHAERENTES uendi ſoleant, CATO a) enarrauit

V

VENDITOR REI CVM FVNDO COHAERENTIS PRETIO NVMERATO OBLIGATVR AD TRADENDVM, EMPTOR AD TOLLENDVM. TRADERE, EST REM POSSIDENDAM DARE.

EXPOSVIMVS, quis recte uendat ARBORES in fundo STANTES, quae ad ipſam FVNDI SVBSTANTIAM tanquam

a) Cato de Re Ruſtic. c. 146. et 147. ſqq

Digitized by Google

quam PARTES quaedam uidentur pertinere. Nunc igitur tempus eſt, ut reuertamur ad POMPONIVM, qui in lege noſtra XXXX. D. de *Act. empt.* uenditorem, qui PECVNIA ACCEPTA ARBORES, STANTES in praedio, TRADERE noluerit, EX EMPTO conueniri poſſe, ait. Operae pretium fuerit, breuiter indicare, AD QVID VENDITOR, pretio ſoluto, TENEATVR

Et ante omnia quidem obſeruandum eſt, ſi quis ARBORES, STANTES in praedio, aut alias res, quae fundi PORTIO ſunt, et CVM FVNDO COHAERENT, uendiderit, res illas, NON TANQVAM PARTEM FVNDI ET REI IMMOBILIS, uenditas, ſed id actum eſſe uideri, ut illa, quae cum fundo COHAERENT, POSTEA FIANT RES MOBILES, atque ad emptorem transferantur: ſiue IPSVM IVS DEIICIENDI ET TOLLENDI res illas CVM FVNDO COHAERENTES, VENDITVM cenſeri: quod ex illis, quae priori §pho a nobis diſputata ſunt, intelligetur

Ad quid igitur dicemus OBLIGARI uenditorem, qui ARBORES, STANTES in praedio, uendiderit, ſed NONDVM CAESAS, neque ab illo praedio, cuius portio ſunt et cum quo cohaerent, ſeparatas

Illud quidem expeditum eſt, non agi poſſe aduerſus uenditorem, niſi PRETIO SOLVTO, quod et POMPONIVS noſter, l. 40. D. de *Act. Empt.* et l. 6. §. 1. et l. 19. D. de *Contrah. Empt.* obſeruauit: inprimis, ſi conuenerit, ut pretio non ſoluto res ſit INEMPTA. Imo uero licet TRADITA fuerit, res non aliter FIT ACCIPIENTIS, niſi aut pretium SOLVTVM SIT, aut eo nomine SATISFACTVM, uel FIDEM HABVERIMVS emptori ſine ulla ſatisfactione. l. 19. D. de *Contrah. empt.* Quid, quod ne quidem ſufficiat PARTEM PRETII ſoluiſſe, cum reliqua corpora, quae nondum tradita ſunt, ſecundum

SCAEVOLAM, PIGNORIS iure retineri poſſint. l. 22. D. de *Heredit. uel Action uendit.* Et ſingulare eſt, quod LABEO affirmat, ſi emptor DVOS HEREDES reliquerit, et alter coheres, quia nomina ipſo iure diuiſa ſunt, duntaxat partem ſuam ſoluerit, tamen ipſum EX EMPTO cum uenditore agere non poſſe, niſi TOTVM PRETIVM ſoluatur: ita enim contractum AES ALIENVM diuidi non poſſe. l. 78. §. 2. D. de *Contr. empt.* Quod habet rationem, cum DETERIOR uenditoris conditio fieri non debeat, PER EMPTORIS MORTEM ET MVLTITVDINEM HEREDVM. Igitur, SOLVTO pretio demum et pecunia omni numerata, emptor aduerſus uenditorem, qui tradere noluerit, EX EMPTO HABET ACTIONEM.

Nimirum, NVMERATA PECVNIA, aut ſi emptor realiter PARATVS EST ad numerandum, uenditor VT TRADAT REM VENDITAM tenetur. Imo, ſi MORAM fecerit uenditor, de eo quod intereſt, conuenitur, et praeſtare debet, quod REM HABERE intereſt emptoris, et ſi pluris interſit, quam quo pretio res empta eſt, obligatio uenditoris egreditur ipſum pretium uenditionis. Ita VLPIANVS et POMPONIVS rem interpretantur, l 1. et l. 3. pr. et §. 3. D. de *Act. empt. uendit.* Luculentius autem DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS uenditorem, aiunt, DE FIDE RVPTA actione empti conueniri poſſe, ſi pretio accepto rem tradere recuſet. l. 7. C. *ſi quis alteri uel ſibi.* Interim ſufficit, ſi uenditor ſemper PARATVS ſit ad tradendum, et ſi nulla difficultas a uenditore obiiciatur, quo minus res tradatur. Hoc POMPONIVS praecipit, l. 3. §. 4 D. de *Act. empt.* EMPTOR enim, quod POMPONIVS alio loco ait, actione uenditi tenetur, et compelli poteſt ad TOLLENDVM, ſi uenditor tradere paratus ſit l. 9. D. de *Act. empt.* Sed idem tamen POMPONIVS, et PAVLLVS, l. 3 §. 2 et l. 2.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1. D. de *Act. empt.* deſiderant, ut VACVA POSSESSIO tradatur. Inprimis ſi quis CORPVS CVM TERRA ET FVNDO ADHVC COHAERENS, ut, VINDEMIAM et fructus PENDENTES, uendiderit et fructus legere et tollere prohibeat, ex empto actione efficaciter conuenietur: quod IVLIANVS et DIOCLETIANVS aiunt. l. 25. D. de *Act. emt.* l. 4. C. *eod.* Contra, ſi PER IPSVM NON STETERIT, quo minus res tradatur, defungetur officio, ſecundum GAIVM noſtrum, SI CEDAT EMPTORI ACTIONES, aduerſus illos, qui nullo iure ipſum impediunt, quo minus tradere rem poſſit, l. 35. §. 4. D. de *Contrah. empt.* Quod et PAVLLVS atque IVLIANVS itemque VLPIANVS l. 12. 13. 14. D. de *Peric. et commod. rei uendit.* et l. 14. pr. D de *Furtis*, probauerunt. Sed ſi REM ALIENAM uendidit, quamuis tradiderit, tamen ex empto conuenitur, ac ſi res nunquam tradita fuiſſet. l. 3. pr. D. de *Act. empt. uendit*

TRADERE igitur rem uenditor tenetur. Sed ut illud efficaciter fiat, utque errori et diſſenſionibus obuiam eatur, ita tradere debet, ut FINES etiam oſtendat, ne ignoret uenditor, quantum occupare debeat et POSSIDERE. Hoc enim SCAEVOLA praecepit. l. 48. D. de *Act. Empt.*

Sed quid dicemus, ſi tradiderit? an compelli poterit uenditor, ut etiam DOMINIVM in emptorem transferat, priusquam actione empti liberetur. Et PAVLLVS quidem, in negotiis STRICTI IVRIS, negat, ſi rem TRADI ſtipulemur, illud intelligi, ut PROPRIETAS in ſtipulatorem transferatur: ſed ait ſufficere, ſi res TRADATVR. l. 28. D. de *Verb. Oblig*

Imo uero, etiam IN BONAE FIDEI negotiis, maxime in uenditionibus, AFRICANVS atque VLPIA-

NVS

Digitized by Google

NVS docent, non cogi uenditorem, VT REM FACIAT EMPTORIS, ſed ſatis eſſe, ſi, quantum in ſe poſitum ſit, efficiat, ut emptori REM HABERE, id eſt, POSSIDERE, illaque uti liceat, tanquam ſua. l. 30. §. 1. D. de *Act. empt.* l. 25. §. 1. D. de *Contrah. empt*

Recte enim CVIACIVS a) et HOTTOMANNVS b) traditionem, ad quam uenditor obſtringitur, definiunt, dum illam in POSSESSIONIS DATIONE conſiſtere affirmant: quamuis, ut ſupra comprobauimus, ſi res non tradatur efficaciter, ſed poſſeſſio deinde iure auocetur, res fere non tradita fuiſſe cenſeatur. l. 3. pr. D. de *Act. empt.* Sed controuerſiam, quae inter IACOBVM RAEVARDVM c) et GERARDVM NOODT de illo argumento ſuborta eſt, hic poſtremus feliciſſime diremit d)

Venditor igitur efficiet, ut REM HABERE, id eſt, POSSIDERE LICEAT EMPTORI. Eleganter enim DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS emptione perfecta et pretio ſoluto, POSSESSIONEM EMPTAM eſſe cenſuerunt. l. 15. C. de *Rei uindic.* Sed expediendum eſt, quomodo hoc praeſtetur a uenditore, ut emptor res uenditas poſſidere poſſit. Neque dubitari poteſt, REM MOBILEM, ideoque etiam ARBORES, aut POMA, aut VINDEMIAM PENDENTEM, ita nobis tradi debere, ut res illas APPREHENDERE et CVSTODIRE, et, ſi uelimus, NATVRALITER POSSIDERE, illiſque INCVMBERE, poſſimus. Ita NERVA FILIVS & PAVLLVS de rebus MOBI-

a) Cuiac. XI. Obſ. c. 19. Op. T. III. p. 336

b) Hottomann. quaeſt. Illuſtr. XI

c) Iacobus Raeuardus, Varior. L. IV. c. 19

d) Gerardus Nodt. Probabil. Iur. Ciu. L. II. c. 12. Op. T. II. p. 53

MOBILIBVS tradiderunt. l. 3. §. 13. D. de *Adquirend. uel amitt. poſſeſſ*

Vnum meretur obſeruari, REM INCERTAM nec TRADI poſſe, neque POSSIDERI: Itaque, ſi quis ex fundo ARBORES emerit, ſed hac lege, ut illas emptori ELIGERE liceret, ante electionem quidem, cum et uenditor ignoret, quid tradat, et emptor neſciat, quid ipſe a uenditore accipiat, certum eſt, arbores nec TRADITAS uideri, neque ab emptore POSSIDERI. Ita quidem aperte POMPONIVS, l. 26. D. de *Adquir. uel amitt. poſſeſſ*

Quapropter diſputatione uix indiget, ARBORES STANTES, aut VINDEMIAM PENDENTEM, quae tanquam RES MOBILES uendantur, non poſſe TRADI, QVAMDIV CVM FVNDO COHAEREANT et terra contineantur et PRO PARTE REI IMMOBILIS habeantur. NEQVE enim POSSIDERI POTEST corpus aliquod tanquam RES MOBILIS, quam diu CVM RE IMMOBILI VNVM CORPVS CONSTITVIT et cum fundo cohaeret et terra continetur. Quod argumentum IAVOLENVS diligentiſſime tractauit, l. 23. §. 2. D. de *Vſurpat. et uſucap.* Quapropter NVLLA eſt traditio ARBORVM, STANTIVM in praedio, DONEC A SVBSTANTIA FVNDI ſeparentur. Recte enim PAVLLVS obſeruauit, ne illarum quidem rerum, quas antea SINGVLAS et SEPARATAS iure dominii poſſedimus, a nobis dominium VINDICARI POSSE, ſi res noſtrae cum alia re COHAERERE coeperint, DONEC A CORPORE PRINCIPALI SEPARENTVR: adeoque AD EXHIBENDVM potius agendum eſſe, ut res noſtrae a corpore alterius SEPARENTVR, et poſt ſeparationem domino reddantur, l. 23. §. 5. D. de *Rei uindic*

VI

RES CVM FVNDO COHAERENTES
ANTE SEPARATIONEM
NEQVE PROPRIA NEQVE IMPROPRIA
NEQVE VERA NEQVE QVASI TRADITIONE
TRANSFERRI POSSVNT.
SIGNATIO ET CVSTODIA ARBORVM
IN PRAEDIO STANTIVM
NEC DOMINIVM NEC POSSESSIONEM TRANSFERT.
ANTE SEPARATIONEM
VENDITOR TANTVM PERSONALI ACTIONE
CONVENIRI POTEST.
SI FVNDVS POST VENDITIONEM ARBORVM
ANTE ILLARVM SEPARATIONEM
TERTIO VENDATVR,
FVNDVS CVM ARBORIBVS AD TERTIVM
TRANSFERTVR

Tradere igitur, ut ſupra demonſtratum eſt, rem uenditam debemus et efficere, ut rem habere et poſsidere liceat emptori. Igitur quibus modis hoc efficiatur, ut res cum fundo noſtro cohaerentes ab emptore poſſideri poſſint, uideamus.

Et facillimus quidem uidetur Gaivs noſter, qui nvdam volvntatem interdum cenſet ſufficere ad rem transferendam: inprimis ſi rem ex cauſſa emptionis apud alterum eſſe patiamur. l. 9. §. 5. D. de *Adquir. rer. domin.* Idem etiam Pomponio placuit, ut, ſi dominus rem ſuam uelit tvam eſſe, tradita omnino uideatur. l. 21. §. 1. D. *eod.*
Imo

Imo uero, ſecundum VENVLEIVM, ſatis eſt, ſi dominus alteri, rem occupanti, uim omnino fieri, aut ipſum, quo minus occupet, impediri prohibuerit: cum ita rem ipſi exhibuiſſe et aſſignaſſe cenſeatur. l. 52. §. 2. D. de *Adq. uel amit. poſſeſſ*

Sed caue exiſtemes, SEMPER nuda VOLVNTATE traditionem a domino abſolui et rem TRADITAM eſſe, ſi dominus VELIT illam ad te transferri. Enimuero, ut ſupra demonſtrauimus, in TRADITIONE deſideramus, ut uenditor efficiat, quo emptor rem traditam HABERE et POSSIDERE poſſit. Hoc plerumque non efficitur NVDA VOLVNTATE. Obſiſtit enim POMPONIVS, qui non ſatis eſſe cenſuit, ſi dominus IVSSERIT, ut me alius INDVCAT in poſſeſſionem, ſed requiri, ait, ut uere inducat in poſſeſſionem. l. 33. D. *de Adquir. uel amitt. poſſeſſ*

Praeterea GAIVS et POMPONIVS in legibus ſupra allegatis, l. 9. §. 5. et l. 21. §. 1. D. de *A. R. D.* tunc demum NVDAM domini VOLVNTATEM admittunt, ſi ille, cui res tradenda eſt, uel naturaliter rem tradendam iam DETINET, uel etiam uere illam POSSIDET, ſed ex alia cauſſa, quam ex emptione, ex qua uenditor in ipſum uult dominium transferre. Hoc enim ex ipſis legum uerbis intelligitur, quas exſcribere non uacat. VENVLEIVS autem l. 52. §. 2. D. de *Adquir. poſſeſſ.* tractat eiusmodi ſpeciem, in qua ille, cui res traditur, uere OCCVPAT poſſeſſionem domino conſentiente. In his igitur exemplis VERE efficitur per NVDAM domini VOLVNTATEM, ut emptor rem HABERE et POSSIDERE poſſit

Extra has ſpecies non ſufficiet NVDA VOLVNTAS ad TRADITIONEM, niſi alteri facultas detur rem TOLLENDI et uere occupandi. l. 3. §. 13. D. de *A. uel amitt. poſſeſſ.* DIOCLETIANVS enim et MAXIM. aperte praecipiunt, non nudis PACTIS, ſed TRADITIONIBVS et VSVCAPIONIBVS, dominia transferri, l. 20. C. de *Pact.* ut appareat, PACTA et NVDAM VOLVNTATEM traditionibus opponi. Igitur, ſi emptor NATVRALITER POSSESSIONEM,

NEM, quandocunque uelit, CONFESTIM NANCISCI NON POSSIT, quod NERVA filius deſiderat, d. l. 3. §. 13. D. de *Adq. uel amit. poſſeſſ.* res nondum tradita uidetur.

Sed inprimis in rebus COHAERENTIBVS, quae nondum SEPARATAE ſunt, non exiguam difficultatem habet, ut ſciamus, quando alter res illas NATVRALITER POSSIDERE POSSIT, et quando VERE TRADITAE emptori uideantur. Quapropter, ut de hoc argumento, in quo cardo huius diſſertationis uerſatur, certius quid conſtituere poſſimus, operae pretium erit, ante omnia de diuerſis ſpeciebus rerum COHAERENTIVM aliquid monere.

Sed elegantiſſime quidem de rebus COHAERENTIBVS „L. ANNAEVS SENECA tractauit. a) Quaedam, inquit, cor„pora CONTINVA ſunt, ut homo: quaedam COMPOSITA, ut „domus et nauis, et omnia, quorum diuerſae partes iunctu„ra in unum ſunt coactae: quaedam conſtant ex DISTANTI„BVS CAPITIBVS, quorum MEMBRA adhuc ſeparata ſunt, „tanquam exercitus, populus, ſenatus. Illi enim, per quos „iſta corpora efficiuntur, iure et officio cohaerent, natura „DIDVCTI ſunt, et ſinguli„

Neque minus appoſite POMPONIVS, tria eſſe, ait, genera corporum, unum, quod continetur VNO SPIRITV, quod Graece ἡνωμένον, VNITVM, uocatur, ut homo, tignum, lapis: alterum, quod ex CONTINGENTIBVS, id eſt, ex pluribus inter ſe COHAERENTIBVS, conſtat, quod CONNEXVM dicitur, ut aedificium et nauis: tertium, quod ex DISTANTIBVS conſtat, ut CORPORA PLVRA, non SOLVTA, ſed VNI NOMINI SVBIECTA: uelut grex, legio, populus. l. 30. pr. D. de *Vſurpat.*

Iam uero dubitationi fere uix locus eſt, quin ARBORES STANTES et CVM FVNDO COHAERENTES, itemque FRVCTVS PENDENTES, ad PRIMAM claſſem rerum

a) Senec. epiſt. 102

rum COHAERENTIVM pertineant, quas SENECA CONTINVAS, POMPONIVS VNITAS, quae VNO SPIRITV contineantur, appellauit. Nimirum, ſupra demonſtratum eſt, ARBORES STANTES et fructus PENDENTES eſſe PARTEM FVNDI l. 17. pr. D. de *Act. Empt.* l. 53. D. de *Rei uindic.* cum ratio non permittat, ut ALTERIVS ſit arbor, quam cuius eſt fundus, in quo arbor radices egerit. Contra, FVNDVS, ſecundum VLPIANVM, eſt INTEGRVM ALIQVID, quod omnia, quae terra ſe tenent, comprehendit, l. 60. D. de *Verb. Signif*

De his igitur, quae VNITA ſunt, et naturaliter cum alia re cohaerent, uidendum eſt, quomodo, ſi ſigillatim et ſine fundo uenditae ſint, et tradi et poſſideri poſſint

Neque uero dubito haec talia NVNQVAM, et NVLLO MODO, TRADI et SIGILLATIM POSSIDERI POSSE, DONEC SEPARATA SINT A FVNDO

Nimirum ſupra a me comprobatum eſt, FRVCTVS PENDENTES et ARBORES ſtantes, ſi ABSQVE FVNDO a domino uendantur, tanquam res MOBILES uenditas uideri, adeoque tanquam RES MOBILES tradi debere et ab emptore poſſideri. Sed luculenter IAVOLENVS, quod antea monuimus, l. 23. §. 2. D. de *Vſurpat.* docet, non poſſe recipi, ut eadem res tanquam MOBILIS POSSIDERI POSSIT, QVAE cum re IMMOBILI adhuc COHAEREAT. Quod quidem nullam dubitationem habet, ſi de rebus CONTINVIS ſeu VNITIS, quae uno ſpiritu continentur, diſputemus. Si quis enim, ut exemplum proponam, ſi quis, inquam, CAPVT AVT CORIVM tauri aut uituli adhuc uiuentis emat, manifeſtum eſt, CAPVT et CORIVM tauri absque tauro nec TRADI nec POSSIDERI poſſe, donec hae partes A CORPORE SVO SEPARENTVR. Quae cum ita ſint, nec ARBORES STANTES tradi et poſſideri

 poſſunt,

a) uid. Gerardus Noodt ad L. XXI. Pandect. Tit. II. p. 467

Digitized by Google

poſſunt, niſi a fundo, tanquam corpore ſuo, cum quo naturaliter cohaerent, ſeparatae et caeſae et deiectae ſint

Hoc intellexit IVLIANVS, qui l. 25. D. de *Act empt.* eleganter docet, illum, qui VINDEMIAM PENDENTEM emerit, antequam uuae a fundo SEPARENTVR, NON REI VINDICATIONE, ſed actione EX EMPTO duntaxat, aut exceptione rei NONDVM TRADITAE, uti poſſe: ſed SI VVAE IAM LECTAE, et uenditoris uoluntate A FVNDO SEPARATAE ſint, tunc demum, ſi quis illas tollere aut calcare prohibeat, ad EXHIBENDVM, aut rei VINDICATIONE, aut INIVRIARVM actione recte agi aduerſus poſſeſſorem. Ex quo loco diſcimus, VVAS NONDVM SEPARATAS, neque LECTAS, nondum traditas, neque ad emptorem translatas eſſe; poſt SEPARATIONEM uero demum illas poſſideri, et ius REALE ac perfectum in emptorem transferri poſſe; in quo ſi turbetur, actioni AD EXHIBENDVM et iniuriarum locum facit IVLIANVS

Eadem fere dicenda ſunt de ſecunda claſſe rerum COHAERENTIVM, quae CONNEXAE dicuntur, et ex pluribus rebus in unum coactis conſtant, et uno nomine appellari ſolent. In his enim, uelut in aedificio, etiam RES MOBILES, ut lapides et tigna, continentur. Sed, de his quidem luculenter IAVOLENVS tradidit, res haſce MOBILES, quamdiu cum aedificio coniunctae ſint, TANQVAM RES MOBILES ET SINGVLARES NEC POSSIDERI POSSE, NEC VSVCAPI, ſed DIRVTO AEDIFICIO, ſi SEPARATAE ſint, tunc demum DE NOVO POSSIDENDAS ESSE: ut, quamuis domus lapſu temporis uſucapta ſit, res illae MOBILES, antea cum aedificio connexae, nunc ſeparatae, noua uſucapione adquirendae eſſe uideantur. l. 23. §. 2. D. de *Vſurpat*

Vides igitur, res MOBILES et ſingulas, quae CVM RE IMMOBILI COHAEREANT, ut arbores, et fructus pendentes, ante SEPARATIONEM ab emptore non poſſideri poſſe. Sed ſi POSSIDERI NEQVEVNT, NEC TRADI POSSVNT,

Digitized by Google

SVNT ANTE SEPARATIONEM, cum TRADITIO ſit DATIO POSSESSIONIS: quod ſupra obſeruaui

Itaque fingamus, GELLIVM quendam ARBORES, STANTES in praedio, aut fructus pendentes, TVLLIO heri uendidiſſe, hodie uero totum fundum, quo arbores et fructus continentur, uendere et tradere Domitiano: an dicemus Tullium aduerſus Domitianum REI VINDICATIONE aut AD EXHIBENDVM experiri poſſe? Equidem hoc affirmare non auſim, quandoquidem ARBORES STANTES Tullio nec traditae ſunt, nec poſſeſſae, antequam Domitiano fundus traderetur. Certius enim uidetur, arbores illas, et fructus pendentes, ad Domitianum tanquam PARTEM FVNDI pertinere. Si quid enim cum FVNDO COHAERET, ſimul noſtrum eſt, quod PROCVLVS et PAVLLVS aiunt, l. 26. §. 1. D. de *Adquir. rer. dom.* et l. 23. §. 2. D. de *Rei uindicat.* Et, ſecundum VLPIANVM, omne illud fundi eſt, quod terra ſe tenet, ut ſupra a nobis monitum eſt, ex lege 17. pr. D. de *Act. empt.* . Hoc enim tam laxo ſenſu uerum eſt, ut etiam RES NON ALIENABILES, ut RES RELIGIOSAE, quae cum fundo cohaerent, ſimul cum fundo, per ACCESSIONEM, ſed SALVO IVRE SVO, transferantur, ut PAVLLVS et VLPIANVS tradiderunt. l. 22. et 24. D. de *Contrah. empt* .

Quae cum negari non poſſint, Tullio, arborum STANTIVM emptori, aduerſus Domitianum nec rei uindicatio, nec actio ad exhibendum, competet, ſed aduerſus Gellium, uenditorem, ACTIONE PERSONALI ex empto, ad id quod intereſt, emptor experietur. Quod et MVCIVS et POMPONIVS probauerunt, in lege a nobis propoſita 40. D. de *Act. Empti*

Igitur arbores ſtantes in fundo, priusquam ſeparentur, VERE tradi non poſſunt

Supereſt, ut expediamus, an non TRADITIONE IMPROPRIA et FICTA res cum fundo cohaerentes, tanquam MOBILES, transferri poſſint ad emptorem.

Enimuero inprimis SIGNATIONE, id eſt, SIGNO IM-

IMPOSITO, quamuis res loco non mota ſit, interdum tradita uidetur. PAVLLVS enim auctor eſt, TRABES, quae fiunt ex arboribus, TRADITAS cenſeri, ſi emptor illas ex uoluntate domini SIGNASSET. l. 14. D. de *Peric. et commod. rei uendit.* quod et GERARDVS NOODT, a) et STRYKIVS b) obſeruant

Sed PAVLLVS quidem de trabibus A FVNDO SEPARATIS adeoque MOBILIBVS, tractauit, ut SIGNATIONE poſſeſſio illarum adquiri poſſe uideatur. d. l. 14. D. *peric. et commod. rei uendit.* Sed ſi res adhuc cum fundo cohaereat, aut alia ex ratione nondum apprehendi et posſideri poſſit, certius eſt, illam NON ESSE TRADITAM, quamuis emptor illam SIGNAVISSET. Enimuero inter TREBATIVM et LABEONEM fuit illa controuerſia, cum ille DOLIVM SIGNATVM omnino TRADITVM cenſeret, Labeo contra iudicaret, dolium non traditum uideri. Et VLPIANVS quidem praefert LABEONIS ſententiam, ut non ſit TRADITVM dolium, quamuis SIGNO IMPOSITO: cum potius, ne dolium cum alio permutetur, quam ut pro tradito accipiatur, ab emptore uideatur ſignatum eſſe. l. 1. pr. et §. 2 D. de *Pericul. et commod. rei uendit*

Eadem fere dicenda ſunt, ſi ille, qui ARBORES STANTES aut fructus pendentes emit, CVSTODES APPOSVERIT, ne res emptae a furibus interuertantur. IAVOLENVS quidem ita de ACERVO LIGNORVM iudicauit, ut, ſi dominus illum me tollere iuſſerit, et ego CVSTODIAM appoſuerim, aceruus mihi confeſtim traditus cenſeri poſſit. l. 51. de *Acquir. uel amitt. poſſeſſ.* Sed noli ACERVVM LIGNORVM cum arboribus ſtantibus, quae cum fundo cohaerent, permiſcere. Ille cum ſeparatus ſit a fundo, et apprehendi et poſſideri poteſt ab emptore, uoluntate uenditoris, ideoque traditus uidetur, ſi illum apprehenderim per CVSTODES. Sed arbores STANTES et fructus PENDENTES, ANTE SEPARATIO-

NEM

a) Noodt. Probabil. L. II. c. 6

b) Stryk. Vſu modern. Pandect. ad L. XLI. tit. 1. §. 3

Digitized by Google

NEM, abſque fundo non poſſideri poſſunt, adeoque nec per CVSTODES tradi aut apprehendi potuerunt

Extremo uideamus, ſi arbores STANTES in conſpectu emptoris ipſi ASSIGNENTVR, an non OCVLIS poſſesſionem emptor adquiſiuiſſe uideatur. Ita OCVLIS rem dicuntur non ſolum apprehendere, ſed etiam DEVORARE, qui cupidius ad rem in conſpectu poſitam adſpirant. Hoc ſenſu SENECA OCVLOS illorum GVLOSOS a) appellauit, qui dapibus conſpectis picam compeſcere non poſſint.

Imo uero CELSVS probat hoc TRADITIONIS genus, cum res oculis conſpicitur et emptori asſignatur. l. 18. §. 2. D. de *Adquir. poſſeſſ.* Ita, ſi pecunia mihi debita in conſpectu meo apud me a debitore deponatur, IAVOLENVS cenſet, illam mihi traditam uideri. l. 79. D. de *Solut.* Praeterea PAVLLVS hoc GENVS TRADITIONIS NATVRALE dixit, ſi res ita oſtendatur, ut PRO TRADITA haberi poſſit, l. 8. D. de *Pecul.* Et Gaius habet non diſſimilem ſpeciem, quam TACITAM TRADITIONEM appellauit. l. 2. D. *pro Socio* b)

Sed res ipſa loquitur, haec fructu et effectu carere, SI NON POSSIT res tradita ab emptore APPREHENDI ATQVE POSSIDERI. Sed antea oſtendimus, rem mobilem, quae ab IMMOBILI nondum ſeparata ſit, non poſſe tanquam mobilem apprehendi aut tradi, aut poſſideri. l. 23. §. 2. D. de *Vſurpat.*

Atuero finge, uenditorem IVSSISSE emptorem, ut ARBORES IN CONSPECTV EIVS STANTES deiiceret, et tolleret, et ſibi haberet. An tunc forte traditae uidebuntur? Adhuc dicemus, VENDITIONEM ESSE CVM MANDATO CONTRACTVI ADIECTO, ſed nullam traditionem interueniſſe. Itaque ſi fundus uendatur, et tradatur nouo emptori, antequam prior emptor deiecerit arbores, PERSONALI ACTIONE uenditor tenebitur, ſed tertius poſſeſſor fundi non uidebitur emptori obligatus

 Sed

a) Senec. quaeſt. natural. III. c. 18

b) Noodt L. II. Probab. c. VI.

Digitized by Google

Sed forte quis obiecerit, IVS CAEDENDI ARBORES uenditum uideri, ſi dominus praedii arbores STANTES uendiderit, illasque caedere et tollere iuſſerit emptorem. Enimuero nouimus, IVRA, etiam absque fundo, QVASI TRADITIONE efficaciter transferri

Non diſſimulo, haec dici poſſe cum ſpecie quadam ueritatis. Neque tamen moueor, ut credam, ARBORES STANTES QVASI TRADITIONE transferri poſſe in emptorem. Nimirum ſi quis plures ARBORES, ſtantes in praedio, quamuis uno pretio, uendiderit, non id actum eſt, ut emptor IVS aliquod REALE, quo praedium obligetur, ſed, ut ius IN ARBORES SINGVLAS, tanquam in res MOBILES, nanciſcatur. VLPIANVS enim docet de SINGVLIS arboribus agi poſſe, quamquam uno ſint pretio coemptae. l. 33. D. de *Contrah. emt.* Igitur faciamus, emptori IVS in ARBORES SINGVLAS uenditum cenſeri. Illud tamen expeditum, IVS illud in arbores SINGVLAS non alia ratione, quam PATIENTIA domini, et EXERCITIO emptoris, per quaſi TRADITIONEM transferri poſſe. Sed exerceri illud ius nequit, niſi ſingulas caedendo et tollendo. Ex quo apparet nihil iuris realis tranſire in emptorem, niſi SINGVLAS CECIDERIT, et deiecerit, et SEPARAVERIT A FVNDO. Ideoque ſi fundus alii tradatur, priusquam arbores SEPARATAE ſint, non POSSESSOR NOVVS FVNDI, reali actione, ſed VENDITOR duntaxat ex EMPTO, conueniri poteſt, quod et POMPONIVS docet, in lege noſtra XXXX. D. de *Act. empti*

VII

DOMINIVM RERVM CVM FVNDO COHAERENTIVM ANTE SEPARATIONEM NON TRANSFERRI POTEST AD EMPTOREM. IDEOQVE NEC REI VINDICATIO IPSI COMPETIT

HABES iam fere omnia, opinor. Sed perueniendum eſt ad extremum, quod tractat noſter POMPONIVS, EMPTO-

PTOREM ARBORES STANTES, ut DOMINVM, a tertio poſſeſſore fundi, ſpecialiter uindicare non poſſe. d. l. 40. D. de *Act. empt*

Nimirum EMPTIONE, ante traditionem, illud IMPETRAMVS, ut, quamuis DOMINIVM nondum in nos collatum ſit, tamen REM IN BONIS HABERE uideamur. VLPIANVS enim in BONIS NOSTRIS computari, ait, non ſolum QVAE DOMINII NOSTRI SINT, ſed etiam, ſi quid ſit in ACTIONIBVS, petitionibus, perſecutionibus, l. 49. D. de *Verb. ſignif.* quod et MODESTINVS approbauit. l 52. D. de *Adquir. rer. dom*

Itaque, cum uenditor actione EMPTI teneatur, ut antea a nobis comprobatum eſt, non poteſt eſſe obſcurum, EMPTA, quamuis nondum tradita, ad BONA NOSTRA efficaciter referri.

Ceterum, ante TRADITIONEM, dominium non transferetur ad EMPTOREM. Eleganter enim PAVLVS ius DOMINII et ius EMPTORIS, inter ſe opponit. l. 188. pr. D. de *Verb. ſignif.* Sed apertiſſime CALLISTRATVS, illum, ad quem ager EX CAVSSA EMPTIONIS pertinet, antequam ager traditus fuerit, non recte REI VINDICATIONE uti, docet. l. 50. D. de *Rei uindicat.* Quod habet rationem, cum, ſecundum DIOCLETIANVM, non pactis, ſed traditionibus, dominia rerum transferantur. l. 20. C. de *Pact.* Ceterum ipſi emptori, an alii, ex eius uoluntate, res tradita fuerit, non intereſt, quod VLPIANVS obſeruauit. l. 11. pr. D. de *Public. in rem action.* Itemque ſi uel inſtrumenta nondum tradita ſint, dummodo rem ipſam traditam fuiſſe appareat, DIOCLETIANVS dominium translatum eſſe, iudicauit. l. 15. C. de *Rei uindic*

Ex his igitur, quae adhuc comprobata ſunt, intelligetur, tertium poſſeſſorem, cui fundus, cum ARBORIBVS STANTIBVS et cohaerentibus, poſt uenditionem arborum, adhuc ſtantium, traditus fuerit, niſi aliud cum illo actum ſit, ab omni actione penitus abſolui, et fundum cum arboribus dominii iure retinere, emptori uero aduerſus uenditorem, priſtinum fundi dominum, EX EMPTO actionem dari. Cum enim tradi AR-

F 2 BORES,

RORES, antequam a fundo SEPARENTVR, emptori non poſſint, fruſtra de dominio et rei uindicatione quaeritur, quae nunquam datur emptori ARBORVM STANTIVM, donec deiectae ſint, ipſique aſſignatae.

Quare cautionis eſſe apparet, ut emptor confeſtim, pretio ſoluto, ex uoluntate domini, caedat arbores et deiiciat, aut dominum compellat, ad arbores a fundo ſeparandas et tradendas, ne quid ipſum poſtea perturbet

Extremo ſciendum eſt, emptorem propria auctoritate, SINE DOMINI VOLVNTATE aut IVDICIS INTERVENTV, caedereet occupare arbores ſtantes ſibi uenditas non poſſe

Eleganter enim POMPONIVS, emptorem, PER SE, non recte in poſſeſſionem uenire, ait, niſi in illam uere inducatur, quamuis dominus iuſſerit, ut inducatur. l. 33. D. de *Adquir. uel amitt. poſſeſſ.* Nimirum DIVI MARCI DECRETVM emptorem etiam terrebit, NE IPSE IVS SIBI DICAT, cum iudicis contemptu. l. 13. D. *quod met. cauſſ.* Vnum tamen PRAETOR uicino permittit, ut, ſi arbor alterius in aedes uicini impendeat, et dominus illam adimere recuſet, uicinus illam adimat, et ſibi habeat, quod ſupra obſeruatum eſt, ex l. 1. pr. D. de *Arbor. caedend*

p. 7. lin. 22. pro: *Thiberis*, lege: *Tiberis*.

A 01474556

Digitized by Google